

quod Peucen Insulam efficit, in qua proximus alueus appellatus 19. millia passuum magna palude sorbetur. Ex eodem alueo & super Istropolim lacus gignitur 63. mill. passuum ambitu, Palmirim vocant. Secundum ostium Naracustoma appellatur. Tertium Calostoma, iuxta Insulam Sarmaticam. Quartum Pseudostoma & Insula Conopondiabasis. Postea Boreostoma ac Spireostoma, siue Stenostoma. Septimum genus est Palustrispetia nigrum. Singula autem ora tanta sunt, vt probetur in quadraginta millium passuum longitudine vinci mare, dulcemque intelligi haustum. Et constat ab vltimis nostris finibus maris, agminatim ad hunc secessum pariendi gratia petere pisces. Ammiani sunt verba, vt aquarum suauitate salubrius foetum educant, nec intercipiatur. Iustinus ex Trogo Pompeio lib. 32. & Appollonius poëta. Strabo lib. 1. Plinius lib. 3. capite 18. Istrum Argonautarum navigatione sacratum scribunt. Accedit his quoque Valerius Flaccus lib. 8. apud quem socios suos his verbis alloquitur Argonauta:

*Mutandum ô socij, nobis iter, altera Ponti
Eluctanda via est, Schythici ruit exitus Istri.
Fundere non vno tantum quem flumina cornu
Accipimus, septem exit aquis, septem ostia pãdit.
Illijs aduersi nunc ora petamus & undas,
Qua latus in laeuũ Ponticadit, inde sequemur
Ipsius amnis iter, donec nos flumine certo
Proferat in reliquum mare.*

Super hunc fluuium Traianus Nerua pontem miri operis in Mœsia construxit, quem iterum Adrianus demolitus est. Dione Cassio Nicæo in hunc modum referente. Per ea tempora Traianus lapideum pōtem in Istro fecit, opus sanè mirandum & maximè memorabile: cui cætera ipsius opera vix adæquare possis. Viginti stant ex quadrato lapide pilæ, quarum altitudo centum & quinquaginta pedum, præter fundamenta habetur, Latitudo sexaginta pedes continet. Distant inter se centum & Septuaginta pedibus, fornicibus verò cōiunguntur. Impensa profectò ingens & vix credibilis, sed illud mirari cōuenit, qua nam ratione, & quibus viribus, quoue artificio in illa

gurgitū altitudine tamque præcipiti fluuio, tum singulæ columnæ extrui valuerint, tantarū molium fundamenta stabeliri. Vada præterea limosa erant, neque amnis aliò verti poterat. Quanta verò altitudo sit aquæ, & quàm latus pateat amnis, haud equidem enarrauerim. Diffunditur per ea loca spatiosus, atque interim imbrium mole concitatus ripas longius submouet. Alibi verò duplo, atque interim triplo, priore sui parte maior, aut restagnat, aut defluit. Quà verò arctatur, vorticosus & ferox ædificia & pontes nō patitur, & rursum liberatus angustijs, in pelagi formam totus expatiatur, iterumque coit: quasi retentus, profundior & rapidus fertur. Arduum igitur & maximè laboriosum fuit in ea fluminis parte pontem ædificare. Ex hoc sanè ingens Traiani animus arguitur, atque adeo magis, quod nullum commeandi vsum pons præbebat. Pilæ etiamnum extant, ceu in ostentationem potentia, & Cæsaris opum, fabricatæ: simul etiam vt posteris testatum maneret, nihil esse quod hominum manu, & opibus Romani Imperij effici non posset. Ponte Danubium ideo Traianus coniungere voluit, vt expeditius vel conglaciato amne, præsidij facultas transeūdi foret, quoties Romani, qui trans Danubium agerent, à Barbaris bello & armis vexarentur. Ergo vel astricto frigoribus fluuio, cum res deposceret, commeare licebat. Ceterum contra ratio Adrianum mouit. Siquidem is veritus ne pulso Romano præsidio, aut oppressis legionibus, feræ & indomitæ gentes facto aditu, ea loca inuaderent, quæ cis Danubium sunt, Mysiamque subinde popularentur: strukturas & fornices, quantæ super aquam eminebāt, demoliri iussit. Hæc Cassius. De nominis Etymologia variant nostri. Sunt qui ab sono & vndarum strepitu, *Donj*, *Sonj*, cognominatum putent. Beatus Rhenanus libro rerum Germanicarum 3. ab Abnona dictum colligit Abnouium, quasi dicas *Saunou*, pro *dit Abnou*, litera D. articuli loco addita. Abnobam seu Abnonam authores clementer æditam Hercynij nemoris portionem vocant, in qua fons est Danubij, quem tractū dixi Alemannis *in d. v. Baar*, hodie appellari Danubium pulchrè descripsit Conrardus Celtis lib. 2. amorum, Elegia 13. & post illum Richardus Bartholinus libro 4. Austriades. Hęc hæctenus Althamerus.

TVRINGIAE COMITATVS, ET MISNIAE MARCH.

TVringi Saxonum populi, aut vt volunt nonnulli ijs antiquiores multò Saxoniarum Coloni, nominis originem vetustate obscuratam habent. Hos Septentrionales populos fuisse asseuerat Beatus Rhenanus, ijsque ex locis sedibusque, quas Prussij, Pomeriani, Liunijque hodie occupant, prodijisse credit, ac Cheruscis cum Alemannis discedentibus, in eorum sedes migrasse, cum Toringorum Apollinaris meminerit, recensens eos inter gentes quæ Attilam secutæ sunt, Chunus, Bellonotus, Neurus, Bastarna, Toringus. Idemque Rhenanus locum Pauli Diaconi, vbi Turcilingorum, seu Tungrorum mentionem facit, sic censet legendum. Turcilingi siue Toringi Wendos Sorabosque nonnulli vocatos credunt, eorum olim imperium ac limites ad Mœni ripam & ultra extendebantur. Verum cum rixarum finis non esset inter hos ac Sueuos, aduocatis Francis Germaniæ inferioris ad Rheni ostia populis, retrocessere, hosque admissos tanquam vallum aliquod inter se ac Sueuos collocauerunt. Althamerus existimat in Hermundorum & Cattorum hos sedes immigrasse, dicit enim ultra Salam Hermunduros, citra autem Cattos confedisse, ac pro Sala potius flu. pugnasse, quam pro Visurgi. Toringicum igitur ad Hartonem nemora accoluisse Cattos, quibus pulsis, alioue profectis, vtpote in Hispaniam vbi Cathaloniam condiderint, ijs Toringos ac Hessos successisse, qui etiam nomen suum Cattorum regioni indiderunt. Populus atrox, durus, minaxque in hostem, corpora viris proceras, robusta ac proportionata. Regio populosissima, quæ regibus olim suis paruit. Hodie comitatus prouincialis, vulgò *Lantgrauij* dignitate contenta est. Ciuitatem, vrbemque habet metropolitanam Erphesfordiam seu Erdtfurdiam. Nomini occasionem præbuisse ferunt eiusmodi casum, fuit in eo loco vbi nunc ferè est templum D. Andree, Villa cognomento Schildemoda, ad hanc transitum seu passagium vt vocant, habuit celebris quidam molitor in Bruleto eiusdem oppidi monte, per Ieram ibi stagnantem, illi molitori nomen fuit *Erf*, inde vrbem totam Erffordiam, quasi dicas *Erfsfurd* appellatam esse ferunt. *Furt* enim vadum incolarum lingua dicitur, cum Bicurgium alioquin diceretur, vti nonnulli ex Ptolomæo coniiciunt. Eadem & Germaniæ propemodum totius vrbs maxima censetur. Hæc Episcopalis olim erat, Bonifacio Germanorum apostolo conditore: ea dignitas deinde Maguntiam translata dicitur. Celebri etiamnum literarum Gymnasio floret, quod anno 1392. ibidem conditum fer-

tur. Ecclesijs aliquando Parochialibus circiter 25. eximie ornata erat. Iera flu. vrbem perluit, eamque à sordibus purgat. Adiacens etiã ager nulli fertilitate secundus, habet & Franckenhufiam, Sunderhufiam, & Sangerhufiam, Armstadium, & Salfeldiam, vrbes haud mediocris fortunæ. Montibus vnde quaque circumfusa regio, intus ager campusque planus, vrbibus castrisque mirè exornatus. Gleba fertilis frumentorum omnis generis, & leguminum etiam fertilissima, obsoniorum quoque ac fructuum vix quicquam desiderat. Si vnum demas, quod et si ibidem non nascatur, tamen aliunde importatur. Itatim herbam tinctoribus vsitatam affatim producit. Fluminibus irrigatur regio compluribus, eorum sunt nobiliora: Saltza, Werra & Vnstrut: ignobiliora autem Ilmus, Iera, Léine, Or, Halbe, Wipper, Sorgeng, Weita & nonnulla alia. Syluis etiam hinc inde conspersa est, Hercyniæ portiones sunt, ac Thuringica sylua (à Ptolomæo Semana sylua dicitur & Bacenis sylua & Harto) latè nota, Haynich, Hainseite, Finne, cum alijs nonnullis. Montes etiam minararum fecundos inesse testatur Herodotus, argenti aurique venis diuites, qui prope Braitenbornium ac Schwartzenburgum reperiuntur. Franchusia etiam diuites salis mineras habet. Hæc Saxoniarum prouinciarum inter Francos Vvestphalosque sita, Boemos Saxoniarum ad Ortum, Sueuos ad Occasum, Rhenes ac Vvestphalos ad Septentrionem, ad Græcum ventum Mansfeldiæ comitatum, Francos, Boariosque ad Austrum habet. Longitudinis autem eius initium est ab Occidente à 27. gradibus 42. longit. vbi est Cruitzburgum, finem autem facientem Orientem versus sub 29. gradibus & 15. minutis longitudinis, vbi est Naumburgum. Ab Austro autem latitudinis initium facit à 50. gradibus & 53. minutis, vbi Salfeldia sita est, & in Septentrionem porrigitur ad 51. gradus, & 39. minuta latitud. vbi est Eislebia ciuitas. Est ergo iuxta finem 8. Climatis, quod est per mediam Mœotim, vsque post principium noni: quod est per Agrippinam Coloniam. Ita vt Parallellus eius Australior sit 18. ac dies ibidem prolixior horarum 16½. Borealis autem 19. vbi dies prolixior horarum 16½. Ita vt latitudinem habeat (hoc est, ab Austro in Boream) milliarium Germanicorum 13. Italicorum autem 52. longitudinem autem ab Occidente in Orientem milliarium Germanicorum 14½. Italicorum verò 58.


Z

MIS-

TVRINGIAE COMITATVS PROVINCIALIS

Verus ac germanus typus. Autore Johanne Mellingero Hallens.

Natura bonitate, ferax, cultus, frequēti
 Terra hac Thyrigetis nunc habitata
 (du)
 Vt vera pietate uiget, Musisq; benigna est
 Sic urbane nitet, legibus atq; donis.
 Hac decora eximia sunt terrae qua
 Catera quis clara est uix nū
 queam
 Vinia CHRĒ salus hinc ornata gubern
 Confer uans plaudite mnumera tanta du.



MISNIAE

MARCHIONATVS diligens et acurata delineatio Autore Bartholomaeo Sculteto Gor



MISNIAE MARCH.

Misnia Saxonum quoque regio, à cognomine sibi vrbe hodie denominata, ea ad Albis fluij sinistram ripam posita, Episcopalis est. Verùm recenter hoc nomen regioni inditum est, cùm Hermundurorum hinc olim sedes fuisse non obscura coniectura, colligere liceat ex Cornelij Taciti historia: nam in Hermunduris Albim nasci memorat. Hermunduri autem Sueuorum gentes fuere, ad Albim fluium, sub Hercynio iugo, Danubium versus è regione Semnorum habitates. Velleius etiam Paterculus libro 2. Semnonum Hermundurorumque fines Albim præterfluere tradit. Tacitus autem libro 10. annalium, docet Hermunduros cum Cattis magno pralio propter flumen gignendo sale fecundum, & conterminum concertasse. Is autem Sala fluius est Cattos Hermundurosque interluens, ac separans, ad cuius ripam etiamnum Salina in Hala vrbe conspiciuntur, vt alibi monuimus. Vndeliquidò constat Misnensium oram olim Hermunduros incoluisse, ac Boiohemi etiam portionem versus Orientem, vbi Albis fluij fontes conspiciuntur, Ioannes Gerson persuasum habet. Eudoses, Varinos, Suardonesque, Libonotriam (quo nomine Misnensium ditionem vocat) habitasse, eosque postmodum vnico vocabulo Sorabos nuncupatos esse, ij Sclauini fuere, quos inter Albim & Salam habitantes, Carolus Magnus oppressit. Inde postquam Germani pristinos agros receperunt, Misnij seu Misnenses, ac Episcopali, vt dictum est vrbe, vbi Principis sedes erat, cognominati sunt. Birkheimerus Misnenses, Cheruscos esse credit, qui cum Cattis de salis fontibus, qui sunt Hala Misnensium, decertarunt. Quamuis supra demonstrauius Thuringos Cheruscorum sedes tenere, inter Albim & Visurgum fluios. Camanos etiam Misnensium olim loca possedisse credunt nonnulli. Ilingi etiam & Glancones dicti sunt, Albis fluij accolæ Misnensium pars iuxta Cerbst. Hodierni incolæ regionis, robusti fortesque, ac commendanda corporis forma, ac proportione, iucundi, hilaresque, amici, modesti, pacis amantes, nulla in parte Germanorum innatam feritatem ac minacitatem referentes. Marchionatus est, olim Saxoniarum Marchionatus dictus. Valles multas complectitur, ac Voitlandiarum etiam ducatum & Lusatiam superiorem. Cuius habitatores Theurochemi dicti sunt. Ciuitates vrbesue principes habet Missenam, quæ regioni nomen suum communicat. Lipsia ad Pleissenam amnem, quæ cæteris omnibus opulentiâ, splendoreque antecellit, nobilissimoque floret Gymnasio, quod cùm olim Pragæ in Bohemia extaret, huc anno à nato Redemptore nostro 1408. translatum est. Est Suiccama, triuiali schola clarissima, ad Moldam amnem sita, & Laifnicza Petri Appiani nobilissimi Cosmographi Patria. Dresdena quoque, ac multæ aliæ celeberrimæ vrbes. Aër olim vix ferendus fuisse dicitur, ob montium sylvarumque humidissimarum exhalationes viscosas: præsertim vbi Ioachimica vallis dicitur, in Sudetis montibus, qua Bohemiarum Voitlandiarumque vicina est, eam enim vallim vsque adeò densæ tetræque nebulæ nonnullis anni temporibus integebant, vt Solis radios nequaquam admitterent: nunc verò syluis excisis, terræque meatibus quantum interclusi erant, apertis, ac fluminibus quoque exitum suum sortitis, cessant nebulæ: montes enim exiccati, vento liberius persflantur, vnde aère hodie salubriori fruuntur. Terra montibus colli-

busque, minarum refertis, vndiquaque accumulatur, in Boiohemiæ finibus, ipsisque Sudetis montibus. Ager etiam frumenti feracissimus est: præterquam in prædicta valle Ioachimica, vbi gleba durior minusque fertilis est. dumorum autem & ruborum referta, plus tamen in recessu, quàm in fronte prima habet. quod enim superficiei eius denegatur, id eius viscera abundè compensant: argenti enim tam sunt diuites fodinæ, vt & laudatissimas mensas comparare valeant. Quicquid etiam montium ac collium, ab Albi vsque ad Moldæ fluuenta erigitur, & inde ad Elifram & Salem amnes, omnis generis metalli, argenti, æris, stanni, ferri ac plumbi diues est. Vicina etiam loca auri mineras exhibet, vt pote Cotenheyda mons, Amiebergum, Schnebergum, Gayrum, Aldenbergum, argenti immensam vim præbent ex Sudetis montibus. Est & ad tertium fermè lapidem ab Zuicauia vrbe, ad Moldam sita, Colbergum mons. i. Carbonarius, è quo effoditur lapis, terræ calore exiccatus, ater & leuis perinde ac carbo, vnde & Carbonarium lapidem appellant, quo per totâ ferè Misniam carbonum loco, fabri ferrarij vtuntur, cuiusmodi Lithanthrakes inferiorem Germaniam in Leodiensi agro ac Scotiam etiam dare ostendimus. Horum carbonum fodinis olim accensis, montem ipsum non aliter ac Aetnam & Vesuuium & Heclæ montem in Septentrionalibus regionibus arsisse, flammisque euomuisse, ita vt vicinæ Zuicauia ingentem timorem incusserit, memoriæ proditum est, hodieque fumare conspicitur. Hala etiam præter Salis fontes, vnde nomen sortita est, æris mineras habet. Hæc metallorum tam diues atque abundans regio, vt singulos penè etiam maximos montes perforatos videas. Fluminibus irrigatur Albi, Sala, Mulda, Elifero, Plifina, Egra, Remnitza, ac alijs nonnullis ignobilioribus riuulis, ac syluis etiam vndeque conspersa ac penè inuoluta, Gabreta ac alijs plerisque Hercyniarum portionibus. Terminatur ad Septentrionem Marchia Brandenburgensi & superiori Saxoniam, ad Orientem vtraque. i. superiori & inferiori Lusatia ac Silesia. Ad Austrum Bohemiarum regno ac Sudetis montibus, ad Aphricum ventum Voitlandiam habet, ad Occidentem Thoringos, ad Corum Mansfeldiarum comitatum. Longitudinis initium sumit in Occidente à 29. gradib. 33. minutis longit. vbi est Hala vrbs, ac Orientem versus porrigitur ad Lusatias sub 31. gradib. & 42. minuta longit. vbi est Comsteinnum, latitudinis autem principium ex Austrina parte est ad 50. grad. 24. minut. latitudo, vbi est *Ioachims dal* in Sudetis montibus, & Septentrionem versus extenditur, vsque sub 51. grad. 35. minuta latit. vbi est Hertzbergum. Est itaque post medium octauum Climatis, quod est per mediam Mæotim, vsque ad principium noni, quod est per Agrippinam Coloniam, vnde eius Parallellus intelligitur Australis quidem 18. diesque æstiuæ seu prolixior horarum 16 $\frac{1}{4}$. Borealis verò 19. diesque prolixior ibidem horarum sedecim & $\frac{1}{2}$. vnde longitudo etiam eius colligitur ab Occasu in Ortum, milliariorum Germanicorum 16 $\frac{1}{2}$.

Italicorum 66. latitudo autem ab Austro in

Boream Germanicorum 17 $\frac{1}{2}$.

Italicorum autem

HESSIAE SEV CATTORVM TABVLA.

XXIII

Nomen Hessiæ quam habuerit originem, non constat, nisi quod ferunt à monte quodam cognomini id descendere: qui quo loco situs sit, non reperi, nisi is fortè sit, qui in Geldriæ vrbe Nouiomago extat, vrbis pars inferior ac humilior, quod quidem à re non vsque adèd alienum videtur. Referunt enim nonnulli Batonem quendam Regis Cattorum filium (qui Nouiomagum auxerit, restaurarit, ac mœnibus cinxerit) Hessium filium habuisse, qui fauore ac amore patrij soli, ei loco suum nomen communicarit. Vnde etiamnũ Hessius mons dicitur. Beatus Rhenanus, rerum Germanicarum libro primo aliud sentit. Arbitror (inquit) aduenam hessorum nationem, ex vltiore Germania Catthorũ Veterum sedes occupasse, qui vel bellis erant absumpti, vel cum Alanis in hispaniam, cum Alemannis in Martianam syluam concesserant. Fuere autem Germaniæ populi Cheruscis & hermunduris finitimi: initium sedis ipsorum ab Hercyneo, id est, ab eo saltu hercyniæ, qui veterem retinet etiamnum appellationem. Vulgò siquidem Harto *der Hartz*, & hertici montes dicuntur, qui ad Visurgim vsque fluuium extenduntur, quem VVesaram accolæ dicunt, & eo etiam transmissio in VVestphaliam perueniunt, ad syluam Occidentalem, quæ hercyniæ portio est, vulgò *Westerbaldt* appellatur, in terram vsque Pergensis ducatus. In quo tractu statuit Ptolomæus Meliborum & Abnobæos montes, qui à Saxonis & Toringicis campis, per Hessiam in VVestphaliam vsque protenduntur. Vnde euidentissimum est Cattorum oram, superne Hecticos, Saxones, Thoringos, Franciæ portiunculam, & mox Buchoniam attingere, & per Hessos descendere in VVestphaliam, ad Rhenũ vsque, vbi hæserunt gentis reliquiæ, vulgò Catzenelebogij, pro Cattenelibocis, seu Cattis Melibocis, qui Melibocum montem accolunt. Super sunt enim duæ arces hoc nomine, ditionis Hessicæ, quarum quæ Rhenum prospectat recentior est. Cornelius Tacitus lib. annalium 13. refert inter Hermunduros, Cattoſque certatũ magno prælio, dum flumen gignendo sale fœcundum & conterminum vi trahunt: super libidinem armis cuncta agendi, etiam religione illis insita, eos maximè locos propinquare cœlo, precesque mortalium à Dijs nusquam propius audiri. Inde numinum indulgentia illo in amne, illisque syluis sale m prouenire. Non uti apud alias gentes, eluuiæ maris areſcente vnda, sed super ardentem arborum struem fusa, contrarijs inter se elementis, igne atque aqua concretis. Putatur autem pugnatũ fuisse ob salis fontes, qui etiamnum extant in Hala, vrbe Saxonum, ad Salem amnem sita: vbi è fontibus aqua salsa hauritur, quæ cocta, sanguine hircorum addito, in sal concreſcit, quod inde in finitimas regiones immensis curribus exportatur. Sunt etiam Alendorſij in Hessia ad Visurgim amnem, cuius caput VVerram Toringi & hessi vocant, salinæ. At quia vltra

Salam confederunt Hermunduri, citra amnem Catti, verisimilius est pro Sala, quàm pro Visurgi pugnaſſe, vtroſque. Ergo Toringicum & hartonem nemora accoluerunt Catti, quibus pullis, aliouè profectis (fortasse in Hispaniã vbi Cathaloniam cum Alanis condidère) successores habuere Toringos atque hessos, qui etiam nomen suum regioni Cattorum indiderunt. Quanquam & Meliboci montis accolæ gentis reliquiæ credantur. Hessiæ præterea partem Casuarij, Teucteri, & Incriones habitasse olim feruntur à nonnullis. Continet autem hessicum solum Rheno, Mœno, ac VVestphaliæ interiectum complura in se dominia ac dynastias, Ringgouiam, Occidentalem syluam, vulgò *Westerbaldt*, *Wedderau*, comitatus Anasinum vulgò Nassouienſem, Kunigſtenienſem, Hanauuenſem, Iſenburgenſem, Vvaldeckenſem, ac pleraq; alia dominia. Ipsa verò hessia comitatus prouincialis dignitatẽ tuetur, vulgò *die Landgraffſchaft Heſſen*. Loci aer salutaris est. Regio ipsa hinc inde montosa, verum frumenti, fructuum, leguminumque feracissima. Pascua latissima sunt, pecora frequentia. Vitem tamen non fert, quemadmodũ & reliqua inferior Germania. Ringgouia parua regiuncula ad dextram Rheni ripam, infra Maguntiacum sita, saltu & dumis in circuli formam conclusa. Vnde illi nomẽ est, *Ring* enim circulum, & *augia* locum pascuum significat. vinum generat nobilissimum, quod Ringouienſe dicunt. Ei regiunculæ ad Septentrionem mons obtenditur, sequens Rheni tractum ad quinque ferè milliaria. Vnde Meridiani Solis radios fortiori repercussu fractos recipit subiectus ager: quare fit vt id solum tanta polleat fertilitate, vt non habeat vel integra Germania agrum, qui tam exiguo loci spacio, tam ingens reddat fœnus. Est in hac regiuncula Erpathium cœnobium, vbi cadus est tam stupendæ magnitudinis, vt inter miracula quoque referendus videatur. Capit enim Rhenanæ mensuræ octuaginta duo plaustra vini, (plaustrum autem vocant Germani *esig* *Soeder*, quæ est mensura continens duodecim vrnas) longus est viginti octo pedum, altus nouem, quatuordecim tantum circulis ligatus. Est & huius tractus regio Buchonia, vulgò *in der Buchen* dicta, in qua Fulda vrbs, oppidis, arcibus, pagisque mediocriter exulta est. Fluminibus irriguis, stagnis, syluis, pratis, pomarijs ornatissima, agro optimo fertilissimoque, quæ vndique quoque nemoribus quernis, vt plurimum septa est: cuius Insulæ incolæ lineis laneisque; telis cõficiendis victũ quarunt. Verum hæ quamuis in Hessia sitæ, Hessiæ tamẽ non annumerantur. Hessiæ verò caput est Marpurgum seu Martispurgum, vbi principis sedes ad Lonam flu. sita. Ibi nunc Mineruæ Musarumque sedes est: hanc dignitate & splendore sequitur Cassula ad Fuldam flu. in qua etiam princeps domicilium habet, huic sunt Ziegenheimium & Dreyſa, Suartzenbornium, Trindelburgum ad S. Goarem quæ Rhenana ciuitas est. Item Prubachium,